



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni  
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones  
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis  
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

**Henricus, de Sancto Ignatio**

**Leodii, 1709**

Caput 258. Prudentia Confessarii in ordine ad hæreticos, ad Ecclesiam  
redeuntes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)

casu in eo quod confitetur, examinandus erit, imò verò iuvandus ad eliciendum verum actum fidei, & doloris supernaturalis. generaliter querendo, v. g. utrum putet Deum posse mentiri? & quid si Deus ipsi diceret se solum habere quatuor digitos, quid tunc crederet? Deinde descendat ad particularem actum fidei, v. g. an credat quòd Christus mortuus sit pro peccatis nostris? Quid si Turca diceret, *demetam tibi caput, nisi dicas quòd Deus mentitus sit, quando dixit quòd Christus mortuus sit pro nobis?* Denique ab actu fidei transibit ad actum spei, & doloris, examinans an doceat ex solo motivo humano, quia à patre vapulabit, an quia Deum offendit, vel quia peccatum est contra Deum, &c. Ut enim sapienter observat Layman l. 5. tr. 6. c. 5. n. 7. sunt non pauci à natura aded vagi, & male educati, ut licet satis dispositi fuerint ad peccandum, non sint tamen satis dispositi ad dolendum ut oportet: nec aliquando satis hinc & nunc dispositi à Confessario possint. Quo casu Confessarius eos non terreat increpando, sed aliquam orationem, penitentiam loco ipsi imponat, deinde cum benedictione dimittat. Expedi enim pueros, etiam absolutionis nondum capaces, benignè audire, ut paulatim instruantur, & confessioni assuescant. Quocumque omnibus consideratis de pueri capacitate dubium superest, non absolvantur, sed cum benedictione, & imposta precatione dimittantur, si solum confessi sint venialia. Si aliquid de se mortale confessi sint, vel sub conditione absolvantur, *si capax es*, &c. si probabilis sit dispositio ipsius; vel si parum verisimile sit quòd eliciant actum fidei, & doloris supernaturalis, idèòque ob incapacitatem non absolvantur, de hoc ipso suaviter monendi sunt, ut cum meliori dispositione redeant ad confessionem. Ita Layman loco citato. Vide supra cap. 220.

## CAPUT CCLVII.

*Prudentia Confessarii in ordine ad rudes, fidei mysteria ignorantes.*

**C**ertum est rudes homines, ignorantes necessaria ad fructuosam perceptionem huius Sacramenti, ante omnia edocendos à Confessario, uti proxime diximus de pueris. Et si qui sint aded hebetes, ut nullo modo intelligere possint rem significatam his verbis: *Deus est trinus & unus, secunda persona SS. Trinitatis est incarnata*, &c. licet voces istas memorià teneant, non magis esse capaces absolutionis, quàm pueros ante usum rationis, ista memorià recitantes, sed non intelligentes. Quamdiu enim non magis intelligunt quàm pueri isti, non magis credunt fide supernaturali, quàm ipsi. Absolutionis verò capax non est qui illa non credit. Cùm improbable sit, explicitam & distinctam fidem Trinitatis & Incarnationis non esse necessariam necessitate mediè, quidquid dixerit Gobat tr. 7. n. 311. posse absolvi qui ignorant duos istos articulos, modò promittant se duros operam, ut discant primo quoque tempore. Hoc est enim, quod Innocentius XI. damnavit proposit. 64. *absolutionis capax est homo, quantumvis labores ignorantia mysteriorum fidei, et etiam per negligentiam, etiam culpabilem, non est mysterium SS. Trinitatis & Incarnationis D. N. Jesu Christi.*

**Q**uòd si mysteria ista ignorantes provecta sint ætatis, non est facilè præsumendum quòd ea non ignorent per negligentiam graviter culpabilem. Cùm ut plurimum de illis instrui potuissent, nisi crassa eorum negligentia intercessisset. Ed quòd toti terrestres vix cogitaverint & solliciti fuerint de concernentibus animæ salutem, sed de solis terè corporalibus & temporalibus. Prudens pro-

inde Confessarius parum fidet præcedentibus confessionibus ipsorum, nec facilè præsumet ipsos habuisse dispositionem sufficientem ad absolutionem peccatorum antè confessionem, sufficientem utique eorum detestationem, negligentiamque vel ignorantiam graviter culpabilem, in qua fuerunt.

Et quia raro fit quòd brevissimo tempore sufficienter instruantur & disponantur, & experientia docet tales ne post multum quidem tempus de credendis sufficienter instrui posse; parumque credibile est negligentibus suam salutem à Deo dari gratiam quâ cor ipsorum subito plene immutetur, concipiatque sufficientem detestationem negligentia suâ, aliorumque præcedentium peccatorum. Idèò Confessarius prudenter ipsis differt absolutionem, ut interea de credendis sufficienter instrui, necessariaque ad bonam confessionem, plenamque conversionem à Deo obtinere possint. Maxime cùm aliogui periculum non leve sit, quòd absoluti ob suam rusticitatem in pristinam relabentur negligentiam.

Nec refert si dicant, se aliquando mysteria ista scivisse & credidisse, sed postea obitos fuisse. Quia Innocentius XI. etiam damnavit hanc propositionem 65. *sufficit illa mysteria semel credidisse.* Et merito: quia mysteriorum illorum fides totam Christianam vitam dirigere debet. Quia finis ultimus Christianorum, Trinitas est; via ad finem ultimum, Christus. Tota autem vita Christianorum debet ad finem ultimum tendere per viam, quæ est Christus. Estque ad omnes errores dispositus, ob ignorantiam principalem mysteriorum fidei, nec fidem in baptismo susceptam exercere potest, qui Christum & Trinitatem ignorat.

## CAPUT CCLVIII.

*Prudentia Confessarii in ordine ad hæreticos, ad Ecclesiam redeuntes.*

**I**mprimis cavebit temerè ipsos ad Sacramenta suscipere; sed prius videbit, an sincero animo redeant, suamque hæresim serè detestentur. Cùm (experientià teste) plerique ex ipsis serè redeant & peniteant, non ex motivo divino, sed humano, spe utique alimentorum, vel alicuius adjutorii humani. In cujus signum, sublata eâ spe, ad vomitum redeunt.

Probabit ergo spiritus, an ex Deo sint, an ex mundo. Quòd si ex Deo, habitâ debità facultate, ipsos instruet, & ad seriam penitentiam disponet. Cùmque ad confessionem admittet, ante omnia scire debebit in qua fuerint hæresi; cum diversis hæreses diversa concomitentur peccata. Intellectâ verò hæresi, necesse non erit interrogare de peccatis ordinariis istius hæresis (v. g. quòd non audierint Sacram, non jejunaverint diebus præscriptis, &c.) utpote qua satis intelliguntur, dum de hæresi se accusant. Interrogabit tamen de iis quæ tali hæresi ordinaria non sunt, & de tempore, quo in hæresi permanserunt.

Denique exposito singulari Dei beneficio, quo ad fidei donum acceperunt, ipsos ad gratitudinem excitabit, ipsique hæreticorum contortia interdicit, præsertim initio conversionis, dum fides adhuc in ipsis tenella, pristinaque dispositionis radices nondum penitus sunt avulsæ.

## CAPUT CCLIX.

*Prudentia Confessarii in ordine ad recidivos & consuetudinarios.*

**D**e iis sufficienter egimus in superioribus, ubi & duplicis generis recidivos distinximus. Alii namque tales sunt ex malitia; alii ex fragilitate: & cum istis mitius agendum diximus, quàm cum illis. Ut autem Confessarius ipsos à recidiva dete-